

iudicium rationis SPLENDOREM VERE LUCIS id est claritatem  
ueritatis PLENE POSSIS AGNOSCERE.

[I m 7]

NUBIBUS ATRIS metrum septimum et ultimum quod dicitur  
Adonium ab inuentore; dimetrum dicitur a numero pedum, dactilicum  
a pede dominante. Constat enim dactilo et spondeo uel trocheo.  
Quia enim dixerat Philosophia quod caligo perturbacionum impedit  
intuitum ueritatis, istud probat hic per exempla. Et circa hoc  
duo facit. Primo proponit exempla. Secundo uelut aptando ad  
propositum hortatur Boecium<sup>1</sup> ad depulsionem perturbacionum ibi  
(20) TU QUOQUE SI VIS. Ponit autem exempla tria<sup>2</sup> quorum  
primum tale est quod sydera que consueuerunt nobis lucere et  
illuminare terram desinunt hoc facere per interposicionem<sup>3</sup> nubium  
obscurarum et eodem modo intellectus et ratio que lucent homini  
et illuminant in cognicione ueritatis impediuntur caligine  
perturbacionum. Dicit ergo (2) SYDERA CONDITA id est abscondita  
NUBIBUS ATRIS id est obscuris NULLUM LUMEN POSSUNT FUNDERE  
scilicet ad illustracionem<sup>4</sup> terre. Secundum exemplum est de uisu  
et unda clara et turbata.<sup>5</sup> Quamdiu enim unda manet clara ad

---

-----  
1 boecium RPO per boecium J / 2 exempla tria RO tria exempla P  
exempla J / 3 interposicionem RPO positam J / 4 illustracionem  
RO illuminacionem P luminacionem J / 5 et turbata RO perturbata P  
et perturbata J /

modum uitri potest uisus uidere ea que sunt sub unda, sed, si turbetur cenum<sup>6</sup> et fiat unda cenulenta, statim obstat uisui; sic<sup>7</sup> quamdiu animus hominis est in se quietus clarus est nec impedit uisum uel<sup>8</sup> aspectum rationis; sed si moueatur aliqua persecucione ita quod turbetur et commaculetur affeccione temporalium, statim obsistit racioni et impedit aspectum intellectus. Dicit ergo (5) SI AUSTER id est uentus ille TURBIDUS quia propter flatum inequalem<sup>9</sup> magis turbat mare quam alius uentus VOLVENS MARE scilicet huc illucque impellendo MISCEAT scilicet cum ceno uel luto quod est in maris fundo ESTUM id est fluxum maris UNDA DUDUM id est prius VITREA id est clara ad modum uitri (9) -QUE pro et<sup>10</sup> PAR SERENIS DIEBUS MOX SORDIDA scilicet<sup>11</sup> effecta RESOLUTO CENO scilicet ex turbacione maris VISIBUS OBSTAT. Tercium exemplum est de ampne qui defluens ab altis montibus procedit recto tramite, cui si obiciatur saxum, sistit derelinquendo tramitem rectum et deflectitur in obliquum. Sic ratio humana incipiens a primis principiis procedit recto tramite ad ueritates conclusionum. Sed si ei obiciatur aliqua<sup>12</sup> turbacio affeccionis<sup>13</sup> propter excessum passionum, sistit a

---

6 cenum JRPO ceno (-o- in ras.) J<sup>1</sup> / 7 sic JRPO sed in ras. J<sup>1</sup> /  
 8 uel RPO nec J / 9 ineulē J / 10 -que pro et et J /  
 11 scilicet RPO id est J / 12 aliqua RP alia JO / 13 affeccionis  
 RPO affeccionum J /

recto ordine ueritatis et deflectitur in obliquitatem alicuius falsi. Dicit ergo (14) -QUE pro et AMPNIS QUI DEFLIUS VAGATUR MONTIBUS ALTIS id est a montibus etc. SEPE RESISTIT id est reflectendo sistit a recto tramite et hoc dico OBICE RUPE SOLUTI SAXI id est obiecto saxo solute rupis et est ypallage. Rupes<sup>14</sup> enim est moles lapidea cuius pars soluta saxum est. Deinde cum dicit (20) TU QUOQUE SI VIS hortatur Boecium ad depellendum turbacionem animi ad hoc ut cernat uerum. Ubi aduertendum est<sup>15</sup> quod ad depellendum turbacionem animi<sup>16</sup> oportet reprimere passiones quibus regnantibus turbatur<sup>17</sup> animus. Omnes autem passiones animi<sup>18</sup> reducuntur ad quattuor principales que sunt gaudium et tristitia spes et timor quarum sufficiencia sic accipitur quia omnis passio animi est respectu boni uel mali: si boni uel presentis et est gaudium uel absentis et est spes; si mali uel respectu<sup>19</sup> presentis et est tristitia uel respectu absentis et est timor. Ad quietandum igitur animum<sup>20</sup> hortatur reprimere istas quattuor passiones<sup>21</sup> sub istis tamquam principalibus<sup>22</sup> ceteras passiones comprehendens. Dicit

---

-----  
 14 rupes RP rupis uel rupes J rupis Q / 15 aduertendum est RP  
 aduertendum JO / 16 animi RPO om. J / 17 turbatur RPO  
 turbatur J / 18 passiones animi RPO animi passiones J /  
 19 respectu RO om. P receptu(?) corr. / 20 igitur animum RPO  
 animum ergo J / 21 passiones RPO principales passiones J /  
 22 principalibus RPO princi<sup>b</sup>; J /

ergo (20) TU QUOQUE SI VIS CERNERE VERUM LUMINE CLARO id est  
claro intellectu TRAMITE RECTO id est ordine recto CARPERE  
CALIEM id est semitam que ad ueritatem ducit GAUDIA PELLE  
PELLE TIMOREM SPEMQUE FUGATO NEC DOLOR ASSIT. NUBILA MENS  
EST id est obscura VINCTAQUE FRENIS scilicet ut non possit  
libere in ueritatem<sup>23</sup> tendere HEC UBI REGNANT. NON dicit  
UBI HEC SUNT cum sint in omni mente sed UBI REGNANT non sedate  
scilicet nec repressae et ideo pellende sunt non ut non sint sed  
ut non dominantur uel non regnent. Et sic terminatur liber  
primus continens metra septem prosas sex.

---

-----  
23 ueritatem RPO ueritate J /